

tephanus.

Dei gratia REX Poloniæ, magnus DUX Lituaniæ, RUSSiæ, PRussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Kiouiæ, Wolimæ, Liuoniæ &c. PRinceps Transyluaniæ &c. SIgnificamus præsentibus
literis nostris, quorum interest Vniuersis et singulis. Deductam fuisse ad NOS et Iuditium Relationum nostrarum propriarum per appellationem à Sententia Iuditii Assessorum
nostrorum Causam et actionem inter Seniores ac totum Contubernium Sartorum Ciuitatis CRacouiensis, actores ex vna, et Seniores ac totum Contubernium Pannicidarum Ciuium etiam
CRacouiensium, conuentos parte ab altera, prius coram offitio Consulari Cracouiensi, ratione grauaminum iniuriarum præiuditiorumque ac damnorum percussionum, violentiarum
et Vestium de panno elaboratarum nouarum et venum expositarum, non solum in foro antiquario seu scrutario, quam vendelam seu tendelam vocant, verum etiam in aliis locis
Ciuitatis aduersus prærogatiuas et PRiuilegia eorumque confirmationem per Serenissimos Antecessores nostros REGes Poloniæ ipsis actoribus concessa receptorum et hucusque non resti:
tutorum motam ac agitatam, vti ea omnia in processu causæ latius habentur descripta. In terminoque hodierno ex ipsa appellatione prouenienti et hucusque continuato PArtibus
ipsis per se coram eodem Iuditio Relationum nostrarum propriarum comparentibus et cum terminum iudicialiter attentantibus, atque controuersias suas coram Iudicio As:
sessorum nostrorum prosequutas, post factam nobis eius causæ relationem, positis PRiuilegiis ex parte quidem Pannicidarum de Data Millesimo, Quadringentesimo,
Trigesimo quarto, Altero Millesimo, Quadringentesimo Septuagesimo sexto, Tertio Decreto Consulum CRacouiensium in Anno millesimo, Quingentesimo, Trigesimo tertio.
Ex parte vero Sartorum PRiuilegio SIGISmundi in Anno Millesimo, Quingentesimo, Trigesimo primo cum additione noua per SIGISmundum AUGVStum REGes Po:
loniæ, in Anno Millesimo, Quingentesimo, Quinquagesimo secundo confirmatum et aliis munimentis suis ad præsentem causam facientibus repetentibus. NOS cum Con:
siliariis nostris lateri nostro assidentibus, audita relatione eius causæ atque controuersia partium examinata, PRiuilegiisque coram productis, reuisis, tum et aliis
allegationibus in medium ab vtraque parte adductis et allegatis bene expensis. Attento eo: Quoniam antiquius PRiuilegium Plebisciti CRacouiensis ex parte Pannici:
darum productum apparet et clausula in confirmatione PRiuilegii sartorum addita posterior etiam appareat. PRoinde Sententiam Assessorum Iuditii nostri,
sententiæ quoque consularis approbatoriam, qua sententia consulari ex rationibus certis adsertis pronuntiatum est, Quod videlicet Seniores Contubernii totius Sar:
torum Sartoresque ipsi, iuxta iura sua nullo modo possunt nec debent Tunicas Vestesque ex nouis pannis confectas, neque alias eiusmodi res mercesque nouas ad mercatores
institoresque et pannicidas pertinentes vendere in damnum et præiuditium pannicidarum et institorum Mercatorumque, tam in foro publico antiquario seu Scruta:
rio, quam vendelam seu tendelam vocant, quam etiam in ædibus suis vel testudinibus aliisue in locis Ciuitatis CRacouiensis. Sed nedum Sartores ipsi Senio:
resque illorum, verum etiam neque alii quicumque Artifices in foro vendelæ publico nouas res mercesque nec debent nec possunt quouismodo vendere, cum forum publi:
cum vendelæ non ob vllam aliam rem causamque sit ordinatum institutumque, quam propter antiquarum vetustarumque Vestium rerumque aliarum tempore et
vsu attritarum venditionem, quemadmodum id ex Plebiscitis Iuribus municipalibus Ciuitatis Cracouien. decretis Consularibus, testimoniisque proborum homi:
num et Seniorum ex Contuberniis depositis abunde liquet, sufficienterque in processu causæ per partem Conuentam probatum est. Et non modo et deinceps
in posterum Seniores Contubernii Sartorum Sartoresque ipsi Vestes de nouis pannis confectas tam in foro antiquario quam etiam aliis in locis Ciuitatis in dam:
num et præiuditium Pannicidarum Censuumque nostrorum ac Ciuium ex pannicidio quotannis per eos pendi solitorum, sub mulcta Decem Millium Flore:
norum Auri puri Hungaricalium, iuxta tenorem literarum mandati REGii iniuncta, vendere omnino audeant approbauimus. Ita videlicet melioratione adie:
cta. Quod tenebitur Senior Pannicida metseptima manu Contubernii sui iureiurando confirmare quod semper in vsu et possessione Priuilegii sui antiqui
fuerint. Quo facto liberum erit pannicidis CRacouiensibus PRiuilegiis suis antiquioribus vti et gaudere. Priuilegiis Sartorum non obstantibus. Sal:
ua videlicet suspensione pro damnis ex receptione rerum partis actoreæ subsequutis, per Iuditium Assessorum ipsorum ad decisionem præsentis principalis nego:
tii decreta, vti quidem approbamus præsenti Decreto nostro mediante. Ad quod quidem Iuramentum præstandum et audiendum, Remmittimus partes ad Offitium
illud Consulare CRacouiense, sine in termino vlterioris diei sex septimanarum decursu peremptorio. In cuius rei fidem et testimonium SIGillum nostrum præsenti:
bus est appressum. Datum CRacouiæ feria sexta in Vigilia festi Omnium Sanctorum. Anno Domini millesimo, Quingentesimo septuagesimo octauo. Regni nostri Anno tertio

Ioannes Borukowski
R. P. vicecan. [illegible]



Ad mandatum Reverendi Ioannis Borukowski
de Bielino Regni Poloniæ Vice
Cancellarii, Præpositi Lanci:
cien. Decani Warschauien. &c.

Leon. Borns. [illegible]

jest – lecz z błędnej kopii!

Decret[illegible] pr. Pannicid[illegible] inter [illegible]

Decretum pro parte Pannicidar. Crac. inter Eos Actores
et Seniores Sartores A^o. 1578.

IV

Dypl. 466

1528

192
[illegible]